



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. An Judicium Credibilitatis sit supernaturale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CONTROVERSIA III.

An Iudicium Credibilitatis sit supernaturale.

nec Deum loco illius, quia cognoscitur abstractivè, & per species alienas, potestque etiam actum naturalem attingi, prout attingeretur ab eo, qui negaret esse locutionem Dei.

365. Obijciunt 2. Ad Actum Fidei præter intellectum debet concurrere objectum per species. ergo sicut intellectus requirit elevationem per habitum supernaturalem, & non sufficeret habitus naturalis, ita objectum requirit elevationem per Species Supernaturales, nec sufficienter Naturales. *Re.* Negando consequentiam. Sufficit enim Habitus Fidei Supernaturalis, ut simul & intellectus & species naturales sint elevata ad actum supernaturalem producendum. Immo si comparatio rectè instituitur, dicendum erit, species naturales elevari. sicut enim intellectus elevatur, ut per suam entitatem concurrat ad actum supernaturalem circa objectum quod alioquin cognoscitur actu merè naturali, ita species naturalis elevaritur, ut concurrat ad actum supernaturalem, alioquin concursura ad actum merè naturalem.

366. Obijciunt 3. Species & Habitus debent esse ejusdem ordinis, cum ex utroque constituitur unum principium integrum actus. *Re.* Cum potentia vitalis non debeat esse ejusdem ordinis cum habitu, cur deberet esse species vicaria objecti, quandoquidem modus concurrendi objecti est ignobilior quàm modus concurrendi principij vitalis. Ratio à priori est, quia species sunt Vicariæ objecti: ergo non est necesse, ut quando objectum est inferioris ordinis quàm sit potentia, species sit altioris ordinis quàm sit objectum. Defacto quidem quando cognoscimus objectum materiale, concurrunt species spirituales, sed hoc ideo fit, quia intellectus est spiritualis, & consequenter species, quam in se tanquam subiecto adequato producit, & abstrahit à phantasmate, debet esse spiritualis, quia materiale non potest recipi in spirituali, tanquam subiecto adequato.

367. Obijciunt 4. Quando Conclusio est supernaturalis, etiam præmissæ ambæ debent esse supernaturales: atqui non est major ratio de his atque de speciebus concurrentibus ad actum supernaturalem: ergo &c. *Re.* Negando majorem. Potest enim Conclusio Theologica esse supernaturalis, etiamsi una præmissa sit naturalis, hæc enim sufficienter elevatur ab altera ad inferendam Conclusionem.

368. Obijciunt 5. Scientia infusa Christi exigit species supernaturales: ergo & habitus fidei. *Re.* Nego paritatem: Scientia infusa Christi cognoscit quidditative futura & possibilia: horum autem objectorum tali modo cognoscendorum non dantur species naturales, sicut dantur species naturales ad modum cognoscendi qui reperitur in actibus fidei. Hinc est, quòd in homine docto clariiores sint actus fidei, quàm in indocto, quia habet species clariiores.

369. Duplex est distinguendum Iudicium Credibilitatis, aliud speculativum, aliud Practicum, & proximè dirigens actum; hoc est piam affectionem, hoc tamen non est ita intelligendum, quasi semper duo hujusmodi iudicia realiter distincta intercedere debeant, satis est, quòd intervenire possint. Iudicium speculativum iudicat, objectum esse dignum creditur. Iudicium practicum, proximè dirigens actum, dicit, honestum & obligatorium esse, credere. & de hoc procedit questio.

370. DICO, hoc Iudicium defacto semper esse supernaturale quoad substantiam. Probat. Homo cognoscens honestatem credendi, potest elicere actum voluntatis supernaturalem & meritum: ergo cognitio præcedens debet esse supernaturalis. Probat. Consequentia. Cognitio præcedens actum appetitivum debet esse ejusdem rationis cujus est appetitus. ergo si actus voluntatis est supernaturalis, etiam cognitio præcedens debet esse supernaturalis. Probat. antecedens. sicut potentia cognoscitiva est velut radix potentiae volitivæ, ita cognitio est quasi radix appetitionis: unde sicut in nullo ente ponimus potentiam appetitivam alicujus ordinis v.g. spirituales, quin ibidem ponamus potentiam cognoscitivam ejusdem ordinis, quia radix non debet esse inferioris ordinis, ita pariter non debet poni actus potentiae cognoscitivæ, quin procedat ex cognitione ejusdem ordinis: potentia enim dantur propter actus.

371. Obijciunt 1. Auctoritatem Patrum, asserentium, fidem esse initium justificationis, meritum, & totius vitæ spiritualis: sed hoc non esset verum, si ante fidem daretur in intellectu actus supernaturalis; ille enim actus non esset actus fidei, nec ab habitu fidei procedens: ergo non fides, sed ille actus esset initium totius vitæ supernaturalis. *Re.* SS. Patres nomine fidei complexos esse omnes illos actus, qui in ordine supernaturali requiruntur ad actum fidei antonomastice sumptum, & sic etiam complexi sunt actum piam affectionis, & iudicium credibilitatis præcedens.

372. Obijciunt 2. Ille actus non est supernaturalis, cujus objectum non est supernaturale: sed objectum Iudicii credibilitatis non est supernaturale: ergo, &c. *Re.* Objectum Iudicii credibilitatis esse illud ipsum, quod est objectum piam affectionis, sicut in alijs virtutibus idem est objectum dictaminis, & actus voluntatis qui dirigitur. Cum ergo pia affectio habeat objectum supernaturale, nempe honestatem residentem in actu quo credo propter revelationem supernaturalem, & rerum supernaturalium, idem de objecto Iudicii credibilitatis dicendum erit.

Ecc 2

373. Ob-

373. Obijciunt 3. Judicium credibilitatis potest esse deductum ex praeiudiciis naturalibus: ergo est naturalis actus. R. 1. Vel illas ambas praeiudicias etiam fore supernaturales, ut putat Ripalda, vel saltem vnam, à qua elevabitur altera ad inferendam Conclusionem supernaturalem, ut putat Lugo. R. 2. Illud Judicium fortasse vix vnquam fieri per discursum, sed penetratis terminis totius apparatus motivorum credibilitatis, cum experientia quam circa illa habuimus, immediatè iudicari, hic & nunc esse honestum credere: ad summum ergo praecedet apprehensio suasiua, à Deo immixta.

374. Queritur 1. A quonam habitu procedat Judicium Credibilitatis, seu Credititatis, ut aliqui vocant? Plures Thomistae volunt produci ab ipso Habitu Fidei, à quibus vix dissentit Ripalda. Communiùs tamen hoc alij Theologi negant. Rationem negandi exhibet Lugo, quia non debet extendi sphaera fidei, ultra suum objectum formale, quod est Veritas Dei & revelatio. Motivum autem iudicii credibilitatis est honestas ipsius actus fidei. Dicunt ergo, hoc Judicium produci à Prudentia, quae est vna ex virtutibus Cardinalibus. Verùm Granadus & Lugo distinguunt duos habitus infusos Prudentiae; vnus est, cuius actus, non nituntur praecise apparentiæ objecti, prout lumine naturae haberi potest, sed nituntur honestate fundata in fide, nempe quatenus per fidem credimus, v. g. Castitatem & Celibatum esse honestum in certis circumstantiis, & quatenus inde evidens sit mihi hic & nunc esse honestum celibatum, ob probabilitatem circumstantiarum intervenientium. Haec ergo Prudentia nititur vltimatè & remotè motivo fidei, ut vult Lugo, vel ut ego opinor, nititur potius ipso assensu fidei, quem quis in se experitur: dicit enim tale Judicium: *Mihi credenti Castitatem esse honestam in certis circumstantiis, quas hic & nunc adesse probabile est, honestum est esse castum.* Porro hac Prudentia supponit fidem, & non manet in peccatore, sed perditur cum gratia sanctificante ceterisque habitibus, manente Fide & Spe. Quapropter adhuc alia Prudentia admittenda est, infusa, non praesupponens actum fidei circa honestatem credendi, sed cognoscens eam prout lumine naturae cognoscibilis est, & haec manet in peccatore vnà cum habitu Fidei, & haec producit Judicium credibilitatis. Et haec est doctrina quam supposui in Controversia proœmiali de supernaturalitate, vbi probavi Judicium primò disponens ad fidem, debere versari circa objectum naturaliter cognoscibile.

375. Queritur 2. Vtrum etiam apprehensiones simplices circa objectum Fidei & ejus credibilitatem, sint supernaturales. Negant Salas, Lugo & alij, asserentes, sufficere apprehensiones naturales, ut producat Judicium supernaturale. Si enim potest sensatio sufficere, ut immediatè sequatur Judicium, cur non possit apprehensio naturalis sufficere ad Judicium supernaturale, sicut

in omnium sententia potest naturalis apprehensio sufficere, ut sequatur apprehensio supernaturalis, alioquin omnes apprehensiones, quavis remotè disponentes ad fidem, essent supernaturales censendae, quod nemo dixerit.

376. Quidquid sit loquendo de possibilibus, an sint necessariae nec ne apprehensiones supernaturales; defacto tamen cenſeo cum Suarez, Sando, Ripalda, praecedere apprehensiones supernaturales suasivas, quotiescunque praecedat apprehensio distincta à iudicio. Dari enim debent apprehensiones supernaturales, non videtur potest negari, cum dentur in Voluntate supernaturale motus complacentiae inefficacis, ad quas non debet praecedere Judicium, sed sufficit simplex apprehensio. Haec autem debet esse supernaturalis, quia cognitio praecedens actum voluntatis debet esse ejusdem ordinis.

CONTROVERSIA IV.

Vtrum Pia voluntatis affectio, imperpetuum assensum Fidei, sit supernaturale.

377. Supponendum est contra Robertum Skott, actum fidei pendere à Voluntate, sit actus inevidens. Nec sufficit meta non instantia voluntatis, ut volebat Scotus, sed requiritur positivum imperium, ut patet ex alibi dictis sine motivo enim credendi non potest intelligi, quomodo voluntas necessaria sit. Motivum autem credendi, est motivum volendi actum voluntatis, volitio autem fidei est formalissimè imperium illius.

378. Dicendum est 1. Hanc piam affectionem esse supernaturalem intrinsecè & quoad instantiam. Probatur auctoritate Scripturae, Conciliorum & PP. à quibus illa pia affectio deprecatur esse donum maximum Dei. ad Philipp. 1. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere. ad Rom. 8. Dominus aperuit cor intendere ijs quae dicebantur Paulo. Concil. Arausic. 2. Can. 1. Si quis, qui augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiam donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, &c. inefficè dicit, Apostolicis dogmatibus adhaerens probatur. Trid. sess. 6. c. 6. Excitati divinis gratiis & ad iudicium fidem ex auditu concipientes, liberi morantur in Deum, &c.

379. Ratio est, quia Fides est meritum: qui hoc meritum non potest consistere in alio, quam in pia affectione: meritum autem omnem supernaturale. Ergo &c.

380. Dicendum 2. Dari habitum formalem supernaturalem, cuius objectum formale est, honestas & arduitas specialis, quae reperitur in assensu firmissimo fidei. Probatur à paritate cum alijs Virtutibus & Habitibus infusis, operantibus diversis specialibus motivis. ergo etiam Pia affectio debet respondere specialis habitus. Et si habitus manet cum habitu fidei in peccatore fideli.

CAPIT.